



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallelia Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1648

§. 1. In Armorica.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13147

CAPVT XII.

De mirabilibus Galliae locis.

In Armorica.

IN Episcopatu Corisopitensi ad Vicum *Concarneau*, in die festo augustissimi Sacramenti, habetur supplicatio semper circa horam decimam. Illa per æstuarium traducitur, eique cedit æstus maris; si tum intumuerit, sensim detumescit, viamque Christi Corpus sequentibus facit: neque vnquam dilata supplicatio, licet cum primùm ex basilicâ egredeleretur mare intumesceret. *Acta publica iussu Episcopi confecta.*

In Insulâ proxima ciuitati *Venetice* stagnum erat satis amplum piscib[us]que refertum, quod aliquando versum est in cruentem ad altitudinem vlnæ. *Gregor. Turonensis lib. 8. cap. 5.*

In Britanniâ Armorica fons visitur, ex quo si aquam hauseris in cornububulo, & petram fonti vicinam perfuderis, tempore quamcumlibet sereno tempestatem non effugies, sed propè madidus domum reuerteris. *Ioannes Eusebius Nierembergius.*

In orâ Aremoricæ ad carinas nauium crescunt volucres informes primò, deinde sensim formantur, rostro in lignum defixo; vbi moueri incipiunt sensim reuelluntur, & mare petunt anatibus similes, indigenæ vocant eas *des Crabaniz*, seu *des Brenaches*. *Argentoratus lib. 1. Hist. Armor. cap. 18.*

Monforti in suburbio, S. Nicolai Basilica est, in quam quotannis Anas antea minimè cicur cum pullis suis venit in festo huius Sanctorum nihil timens, sed eodem gradu deambulans, multis hominum millibus ad hoc spectaculum defixis, viamque quâ pergit Anas, utriusque stringentibus. Mox cum pullis ad stagnum reddit, nec deinceps visitur. Contingit istud & hoc tempore, sed non quotannis. Multa quoque alia circumferuntur de hac historiâ, sed non certa, ut quod unum ex pullis semper relinquat, quod circa crucifixum volitet, &c. *Baptista Fulgosus. Chassaneus, Argentoratus lib. 1. cap. 19. citans acta huius Ecclesie, & testes etiam Calvinistas.*